

tribulationem medicamentum esse ad salutem, non penam ad damnationem, sub medicamento positus ureris, secaris, clamat: non audit Medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.

Act. 1. n. 8. Sed accipietis virtutē superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.

VERSIONES.

Syrus. Supervenientis super vos Spiritus sanctitatis, &c. inter Samaritanos.

Arabicus. Verum accipietis robur, & c. imò, & ad extremum terræ.

Cæcetan. Recipietis potentiam.

Pagnin. Fortitudinem.

Æthiopic. In omnibus extremitatibus terræ.

D. Chryso. Ad extrema terræ.

Aliqui. In totam terram.

D. Ambr. lib. de Accipietis virtutē superuenientem Spiritum sanctum.

EXPOSITIO IV.

84. Hugo. Accipietis virtutem; Alij legunt potentiam, robur, fortitudinem Spiritus sancti, ut ait, Hugo, quod non potestis ex infirmitate, possitis ex virtute Spiritus sancti, quæ valde, & maxime apparuit in Apostolis, qui cum essent pauperes, & humiles ad fidem Christi subjugarent, Reges, Tyrannos, Gentes barbaras, feras, & indomitas, de S. Ambrosio, ad c. 6. Lucæ, virtute superueniente Spiritus sancti; sic ad Mariam Virg. dixit Angelus: Spiritus sanctus superueniet in te. Luc. 1. n. 4. non ait, venit, sed superueniet, qui ut vult D. Bernard. ferm. 1. de Spiritu sancto art. 1. cap. 2. denotat adventum Spiritus sancti cum magna copia, ac abundantia gratiarum.

85. Luc. 24. Eritis mihi testes. Sic et ipse Christus suis Apostolis, Luc. 24. n. 48. Vos autem testes estis horum, Testes eritis eorum quæ vidistis oculis vestris meæ vitæ, prædicationis, miraculorum, mearumque actionum. In Ierusalem. Sic etiam mandavit suis Apostolis Luc. 24. n. 47. quod prædicarent incipientibus à Ierusalem, ubi maximus discipulorum timor de Iudæis, qui eum crucifixerunt. Ibi lex Christi primò debuit prodire, & triumphare. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion dominare in medio inimicorum tuorum. Psalm. 109. n. 3. Et in omni Iudæa. Per quod denotatur totum regnum. Notus in Iudæa Deus. Psalm. 75. n. 1. Samaria, quæ erat valde propinqua, & intima cum Iudæa; usque ad ultimum terræ. Juxta illud Psalm. 18. n. 5. In omnem terram exiit sonus eorum.

QUÆSTIO XIII.

Quare Christus D. non designat suos discipulos suorum operum testes, nisi post acceptam virtutem Spiritus sancti?

86. Ordinatur Christus D. ut sui discipuli sint testes suorum operum: eritis mihi testes, quomodo hoc cohæret cum his, quæ ipse dixit Joan. 5. n. 34. Ego ab homine testimonium non accipio; nullius enim testimonium ei erat necessarium, nam ejus vita, opera, ac miracula & scripturæ abundantissime dabant testimonium de eo, tamen usus est testimonio Ioannis, Apostolorum, & etiam aliorum hominum, propter nos; accommodando se ad mores, ac

captum nostrum, sic cum vox de cælo intonasset, & Ioan. 12. clarificari, & iterum clarificari. Ioan. 12. n. 29. Ipse tunc dixit n. 30. Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Ut latè explicavi tom. 3. cap. 2. n. 87. Tamen post Christi Ascensionem, maxime necessarii fuerunt Christi testes, prædicatores & annuntiatores; nam ut ait Paulus Rom. 10. n. 17. & 14. Fides ex auditu. Quomodo autem audient sine prædicante; Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur.

Tamen ad nostram quæstionem ait Christus in præsentis suis discipulis: Accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientis in vos, & eritis mihi testes. Post acceptam virtutem Spiritus sancti, tunc constituit eos sui testes, & prædicatores, qui enim tanta virtute erant corroborati, ac induti, nulla in eis poterat subesse falsitas, ac dolus, sed summa veritas, ac sinceritas, & inde Christus appellat Spiritum sanctum, Spiritum veritatis, Ioan. 14. n. 17. quia infundebat & communicabat omnem veritatem in illis super quos veniebat. D. Bernard. ferm. 8. in Cant. ait: Indutum D. Bern. virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illucebra poterit, vel stantem devincere, vel subicere dominantem.

Ad hujus rei sensum, Luc. 24. n. 48. Ait Christus D. suis discipulis. Vos autem testes estis horum; Et ego mitto promissum Patris mei in vos; Vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto. Eos constituit suorum operum testes, mandat tamen ut quiescant à testimonio proferendo sedentes in civitate, quoad usque superueniente Spiritu sancto induantur, ac repleantur ejus virtute, qua corroborati, ac illuminati, idonei, ac locupletes testes ejus erunt; in cap. 16. Euthym. ait: Immisurus erat Spiritus sanctus intellectum discipulis, & tunc omnibus publicari volebat, divinitatis, & passionis suæ naturæ mysterium.

Multus est Spiritus sanctus in explicandis, ac declarandis magnis virtutibus ac excellentiis sanctissimi Parentis Eliæ, ac Henoch, Apoc. 11. n. 3. Prophetabant amicti sacris. Hi sunt due olive, & duo candelabra, in conspectu Domini terra adstantes: habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, & convertendi aquas in sanguinem. Ad quod tantas eorum virtutes declarat facer Text. quod erunt in summa poenitentia, ac temporalium contemptu. Amicti sacris: quod fulgeat, ac resplendeant omni virtute, ac sanctitate, eximia charitate: Dua olive, & duo candelabra in conspectu Domini; & quod emineant magna potestate ac dignitate in cælo & in terra: Habent potestatem claudendi cælum, & convertendi aquas in sanguinem. Ex quo delatur eximia eorum probitas, qui tantam, & talem potestatem meruerunt habere, & quod tam alta, ac sublimia eis committerentur. Claudendi cælum. Ad quid tam magna de eis manifestantur; dicitur de eis: Dabo duobus testibus meis. Quos testes constituit, omni virtute exornat, ut eorum testimonium irefragabile habeatur, & cum dique omni exceptione majus, quos tanta virtus exornat, falsitas, & mendacium non poterat obfuscare. Ansbertus Abbas ad citatum locum Apoc. ait. Quos testes dederat hoi sancti Spiritus gratia replevarat, ut essent due olive, & duo candelabra in conspectu Domini.

Secundò, committitur discipulis, ut in omni populo suprema Dei mysteria testificetur, sed non conceditur talia dare testimonia, nisi postquã receperint in se virtutem divini Spiritus, ejusque donis fuerint repleti. Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes. Et cur prius erant induendi Spiritu sancto, quam testimonia proferrent de Christo? Ut fieret evidens, quod tanta certitudo cum tanta efficacia, ut Principes, ac Reges devinceret

devinceret, & ad se traheret, non aliunde provenire poterat, nisi à præsentia, ac assistentia ipsius Dei qua induti erant, & secum habebant.

91. Cum tres illi sancti pueri missi essent à Nabuchodonosore in ardentem fornacem, inter cujus ardentis flammæ, erant illi sancti pueri illasi ambulantes, cujus tanti miraculi fama pervenit ad impium Regem, ecurrit impius Rex, ut videret quomodo flammæ puerorum sanctitatem stuperet, & accedens ad os fornacis, totus admirandus clamat. Ecce video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarri similis filio Dei, Daniel. 3. n. 97. In quo duo acciderunt miracula: Unum quod ignis non tangeret sanctos pueros nec contristaverit, quod fuit manifestum omnibus; Alterum verò quod similis filio Dei cum eo adesset, quod tantum uni Regi notum fuit; & cur præter voraces flammæ omnibus conspicuas, impio Regi similitudo filij Dei ostenditur: Ut Rex insanus suum malum affectum contra sanctos pueros deponeret, & contra illum crederet eos in ardenti fornace esse incombustos, necesse fuit, ut ibi appareret aliquid divinum, ac simile filio Dei; D. Chryso. homil. de tribus pueris, sic ait: Patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari, & potest Dominum videre sacrilegus, sed non permittitur nosse, ut crescat gloria puerorum, regis enim mens in suis flammis parum crederet fortasse, nisi aliam disceret defensorem. Et si omnes testificarentur pueros inter Regis flammæ esse incombustos, iniquissimus Rex non crederet, nisi tunc suis oculis ibi aliquid sublimæ, ac divinum adesset. Suis flammis parum crederet fortasse.

QUÆSTIO XIV.

Quare Christus D. constituit suos discipulos testes suæ resurrectionis, potius quam suæ passionis, ac mortis?

92. Ait Christus D. in præsentis suis discipulis: Eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudæa. Et cujusnam rei erunt Apostoli testes, an ignominie passionis, mortis, flagellorum, ac spinarum, quas Dominus pertulit, an suæ gloriose resurrectionis? Cardinalis Hugo ibi. Eritis mihi testes resurrectionis, verbo, & exemplo, vel signis. Et cur non suæ passionis, sed resurrectionis querit testes? facilis est solutio, opprobria mortis, & passionis facile omnes crederent, aliter verò & difficiliter gloriam, ac majestatem resurrectionis. Humanum ingenium est aliorum ignominias, ac dedecora prompto animo excipere; difficiliter tamen aliorum excelsa, & sublimia credita haberi, & ideo Christi resurrectio fuit testificanda ab Apostolis verbo, exemplo, ac miraculorum signis omnibus adhibitis.

93. Postquam Christus resurrexit, valde gloriose, ac pompola majestate suis discipulis apparuit absente Thoma, cui dixerunt cæteri Apostoli, vidimus Dominum; quibus ait D. Thomas: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus non credam. Joan. 20. n. 25. D. Thomas pro certo habuit in manibus, ac latere Christi esse vulnere signa, & ipse non vidit Christum D. pendente in cruce, & tamen ait: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum. Ipse Christum D. non vidit talibus signis. Unde ergo habuit pro certo tales clavorum notas in manibus Christi. Respondent communiter Doctores, ex testimonio nempe discipulorum. Si ergo ex discipulis testificantibus agnovit ex Christi morte signa clavorum in ejus manibus, cur etiam ex

eorum testimonio non credidit ejus triumphantem resurrectionem: Innata hominum conditio valde promptè ignominiam mortis, ejusque signa credidit, valde tamen pertinaciter discedit quæ decorem indicabant. Unde Thomas, qui acquivit mortis clarioris, vehementer tamen resurrectionis triumpho reluctat, & ait: Nisi videro non credam. De hoc multa tom. 1. in Evangelia lib. 3. cap. 4. q. 21. n. 87. 88. & tom. 4. cap. 18. n. 99.

VERSIONES.

Arabic. Sublatus est, & operatus est.

Æthiopic. Exaltatus est & prospectantibus illis, substractus fuit.

Pagnin. In altum sublevatus.

Syrus. Nubes excepit eum, & operuit ab oculis eorum.

Tertull. lib. 5. con. In sublimitate elevatus tra Mar. cap. 8. est.

EXPOSITIO V.

Tum hæc dixisset. Quæ modo superius sunt relata, & alia, quæ referunt sacri Evangelicæ, de quo q. sequenti. Videmus illis: Ius, scilicet, discipulis; ut ait Glossa Interlin. ut sicut erant testes resurrectionis, essent & Ascensionis; Elevatus est; non subito raptus, ut Parens Elias & Enoch sed propria sua virtute agilitatis elevatus est, sensim, ac paulatim; ut notat D. Bernard. de gradibus humilit. cap. 1. Ut diutius pasceret, ac delectaret oculos intuentium discipulorum. Recte de monte Oliveti ascendit Christus in cælum, ut ubi fuerat initium passionis, esset & gloriæ exordium. Et nubes: Vera & realis, ac maxime fulgens, ac resplendens, ut tanto triumpho conveniens erat, aut de novo creata, aut ministerio Angelorum in obsequium sui Domini, ac glorificatoris composita; suscepit eum ab oculis intuentium discipulorum, & hæc nubes, non prius interjecta est, ac opposita, nisi cum Christus ascendens amplius videri, aut non voluit, aut non potuit ab ipsis intuentibus; de his latius in quæstionibus.

QUÆSTIO XV.

Qualiter facta fuerit admirabilis Christi Ascensio?

De hoc magno, ac præclarissimo mysterio multa dixi tom. 5. in Evang. lib. 9. c. 10. per totum, & tom. 6. Additum ad cap. ultimum D. Marci, tamen hæc aliqua prælibabo; de hoc admirabili arcano agit D. Marc. 16. Marc. ult. n. 19. & ait: Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Et D. Luc. c. 24. n. 50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus suis, benedixit eis, & factum est cum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum, & ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno. Hæc habentur ex sacris Evangelicis cum nostro præsentis text. Postquam Christus D. locutus fuisset cum suis discipulis, quæ habentur in hoc cap. 1. Act. & scribunt sacri Evangelicæ Matth. ult. & D. Marcus, & Lucas citati, finito prandio ut patet supra ex hoc cap. n. 4. & convalescens, quod apud veteres fiebat meridiano tempore, eduxit de cœnaculo, non solum suos Apostolos, sed etiam alios discipulos ferè centum & viginti, ut patet ex hoc cap. n. 15. eosque tulit Dominus per



D. Bern. medium Jerusalem cernentibus, & stupefactis Judaeis divina virtute cohibitis, ut tenet D. Bernard. ferm. 1. art. 1. cap. 3. ducens eos in montem Oliveti, & in itinere divertit in Bethaniam in latere ipsius montis sitam, ut constat ex D. Luca cap. 24. n. 50 ut vale diceret Magdalenae, Marthae, & Lazaro, & ut intimos amicos secum asportavit, ut eos suae Ascensionis visione nobilitaret.

discipulis euntibus in Emmaus, Fredericus Naufca in Catechismo cap. 16. ait in veste rubra, & purpurea ascendisse, & probat ex illo Isaia 63. n. 2. Quare ergo rubrum est vestimentum tuum. Apocalypf. 19. num. 13. Vestitus erat veste aspersa sanguine; ut significaretur cruenta Christi victoria. Alii tenent Christum ascendisse in veste candida, nam in Transfiguratione vestimenta eius facta sunt alba sicut nix; Matth. 17. Beati vultus sunt a Joanne vestibus, seu stolis albis; Apoc. 7. Apoc. 7. n. 9. & byssino candido; Apoc. 19. n. 14.

Dicendum tamen, quod Christus D. post resurrectionem suis discipulis apparuit ea veste, vel simili, qua in vita mortali utebatur; si enim Christus D. ut suis discipulis ostenderet se ipsum esse eundem, qui mortuus fuerat & resurrexerat eisdem actionibus utebatur coram suis discipulis eadem familiaritate, eadem voce, & conversando, & comedendo, ac panem frangendo; ergo etiam eadem veste, ut omnibus modis idem cognitus a suis. Postulat Saül a Pittonissa, ut suscitaret Samuelem quæ ait: Vir sinex ascendit, & ipse amicum est pallio, 1. Reg. cap. 28. n. 14. Inde intulit Saül ipsum esse Samuelem; & unde hoc intellexit? Abulensis ibi; quia veniebat amicus pallio, veste, qua utebatur, cum viveret; ergo etiam Christus D. ut agnosceretur resuscitatus idem a suis discipulis in eadem veste apparebat, maxime tamen nitente, ac fulgente radiis gloriæ, in eadem; veste ascendit in caelum, ut tenet pictura universalis Ecclesiæ, & veste violacea in hoc mysterio Ascensionis.

Idem dicendum de beatis in gloria, nam beati resurgunt, & erunt in gloria, suo nativo, & naturali colore Athiopes, sua naturali nigredine omnibus imperfectioribus sublati, ut cum multis Doctoribus, tenet Agid. Lufi. tom. 3. de beatitud. lib. 3. q. 6. art. 2. n. 10. fol. 263. Unusquisque juxta complexionem sui proprii corporis, ergo etiam erunt in sua propria veste; multi sancti in ipsa celesti gloria viderunt ipsos beatos in suo proprio habitu, vel Pontificali, vel Carmelitano, vel Dominicano, seu Franciscano; cum hoc tamen stat quod docet Soto in 4. dist. 49. in fine, quod dos claritatis in beatis erit varia. In martyribus purpurea, in virginibus candida, in Doctoribus viridis, in penitentibus violacea.

Ascendit Christus ad caelum Empireum concomitantibus tot milliaribus Sanctorum, quos de Limbo secum eduxerat, & omnibus Angelis honoris causa, Domino Regique suo occurrentibus & servientibus, loquens de Christi Ascensione David, Psal. 17. n. 11. Ascendit super Cherubim. Ponderat D. Chrysof. homil. de Ascens. quod olim Deus collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammam gladium, Gen. 3. n. 2. Ut custodiret Paradisum ingressum homini, nunc præstat obsequium Christo aperiens, sic in Christo mutantur omnia in nostrum obsequium Chrysof. citat. ait: Natura cujus causa Cherubim servabat Paradisum, a Cherubim summo cum honore suscepta est. Cum magna gloria, & honore. Ait D. Marcus sedet a dextris Dei. Dicitur Math. 25. n. 33. Statues quidem oves a dextris, hados autem a sinistris. Ideo Christus ascendens in caelum, eligit locum a dextris, ut tanquam dux, & princeps noster nobis prepararet locum cum multa magnificentia, & honore, D. Ambros. tom. 5. in Psal. 139 ait: Ideo ad dexteram filius, quia secundum Evangelistam ad dexteram oves, ad sinistram vero constituuntur hedi. Necessè est ergo partem ovium primis agnus obineat: & sequuntur immaculato gregi locum dux immaculatus anticipet.

QUÆSTIO XVI.

Quare Christus ascendit in caelum videntibus suis discipulis?

Prima ratio, & ad literam, ut jam dixi ex Glossa sic habet: ut suae Ascensionis essent testes, sicut & suae resurrectionis erant. Secundò ex magna tristitia, & gaudio: ex tristitia ob vehementem desiderium ex eius absentia: ex gaudio ob visam tantam gloriam, ac triumphum sui divini Magistris; & sic scribit D. Lucas 24. n. 51. quod postquam viderunt Christum ascendentem in caelum, ipsum adorantes, reversi sunt in Jerusalem cum gaudio magno.

illius esset propugnator, ac defensor eam magnis laudibus super ceteros extollens. Apud Simonem, celebrat de obsequio, quod ab ipso Simone, non fuit impensum, & laudat ejus fidem dimissis peccatis, si des tua te salvam fecit, dimittimus tibi peccata tua. In Bethania summopere commendatur, ita ut ejus factum in toto mundo diceretur in memoriam ejus. In domo Marthae optimam partem elegisse testatur Dominus; D. Bern. ser. 3. in Asc. Vide; ait; prærogativam Mariam quem in omni causa habeat advocatum. Indignatur siquidem Pharisæus, conqueritur soror, etiam discipuli murmurant: ubi que Maria tacet, & pro ea loquitur Christus: Ecce excellentia oculorum, qui maxime sunt intenti in Deum, quales fuerunt Magdalenae, qui nullam timent impugnationem, cum Deum habeant propugnatores, ac defensores, qualis fuit Christus Magdalenæ.

QUÆSTIO XVII.

Quare Christus D. ascendens in caelum ministerio nubis utitur?

Circa hanc nubem aliqua sunt prælibanda. Abulensis. Paradox. 5. c. 9. existimat hanc nubem fuisse Christo D. instar throni, & sedis, in qua tanquam in sella gestatoria ascendit, communiter hæc sententia rejicitur, quia Christus D. directus, & non sedens ascendit, ut habet communis pictura totius Ecclesiæ, & nubes ad hoc est adducta, ut corpus Christi velaret ne amplius a discipulis videretur, ita dicitur. Nubes suscepit eum ab oculis eorum; ex quo etiam non placet sententia Caiet. hoc loco, & Medina; p. q. 58. Caietan. ait. 4. qui existimant nubem hanc non fuisse veram nubem, sed splendorem, quem corpus Christi ex se mittebat, cum caelo appropinquaret; sed aliud est splendor, aliud nubes; splendor est clarus, & subtilis; nubes vero obscura, & densa.

Fuit ergo hæc nubes vera & realis, ut tenet Suarez. tom. 2. ad 3. p. disp. 2. sect. 2. & hoc loco Lorin. Cornel. & alii. Valde tamen gloriosa, & resplendens, ad hoc adducta, vel producta, ut corpus Christi tegeret ab oculis discipulorum, simulque Christi maiestatem declararet, ut notat D. Chrysof. juxta illud Psal. 103. n. 3. Qui ponis nubem ascensum tuum. Hinc de sanctis in gloria dicitur, Rapiuntur in nubibus obviam Christi in aera. 1. Thes. 4. n. 17. simulque cum Christus ascendit in suo circuito asportat nubem ut se ostendat esse æqualem suo Aeterno Parenti, de quo dicitur, Nubes, & caligo in circuitu ejus. Psal. 96. n. 1. Psal. 96.

Secundò Oecumenius sic ait. Incarnatus quidem Deus, nube tanquam vehiculo usus est, nam Dominus erat; Elias vero igne. Ille enim tanquam Dominus universi, propria ascendens virtute, terrenum quiddam, & quod deorsum fertur, ad ascensum assumit, nec magis ducit, quam reducens ipse vehiculum; Elias servus erat ideoque suum ferente vehiculo egens, & equis, qui velocitatem itineris illi pararent. Ideo etiam de hoc dicitur. Ascendit Elias in turbine tanquam in caelum; de Domino vero: eunte illo in caelum. Ascendunt in caelum Christus, & Elias, magno tamen discrimine: Elias ut servus, habet in ministerium voluntatem sum agente equorum igneorum; ignis ex sua natura semper solet sursum ferri, At Christus, ut natura, ac omnium rerum Dominus assumit nubem ex terrena materia compositam, & ideo ad ima propendit; terrenum quiddam, quod deorsum fertur, ad ascensum assumit Christus ut omnium Dominus valet naturas rerum mutare, & in quo inserviebat ad deorsum descendendum, ita disponit, ut per illum ad sursum ascendat, ut ita comprobaret, sua propria virtute ascendere, cū secū asportaret tanquā vehiculū id quod ex sua gravitate ad deorsum agit. Tertio. Caesarius Nazianzeni frater Dialog. 1.